



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XLIII. De Magia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

## CAPVT XLIIII.

## De Magia.

Constat Dubitationibus 6.

## DVBITATIO I.

Quid sit magia, &amp; quotuplex.

Duplex  
magia.

**S**EQVITVR *Magia*, quæ est quæta species superstitionis, per quam mira quædam & insolita ab hominibus fiunt, dæmonum operâ. Accipitur hoc nomen aliquando generaliter; & ita duplex distinguitur *magia*, *naturalis* & *superstitiosa*. *Naturalis* est ratio quædam operandi mira per causas naturales, absque dæmonis opera. Huius extant multæ regulæ & exempla apud Cardanum de varietate rerum, Alexium Pedemontanum, Baptistam à Porta, & alios: qui tamen Auctores quædam superstitionis passim admiscet. Et quamuis hæc *magia* per se mala non sit, tamen est periculosa; quia ingenia humana rebus curiosis & inutilibus implicat, & ex curiosis magis curiosa reddit, ac sensum ad *magiâ* superstitionem introducit: nam sub specie occultæ operationis naturæ, diabolus facillè se admiscet, & ita occultæ virtuti causæ naturalis tribuitur, quod ipsius præstigijs agitur. Vnde videmus, maximos quoque magos velle haberi tantum professores *magiæ* naturalis, & omnia sua conari tegere imagine quadam occultæ virtutis naturæ. etsi enim interdum quosdam causas naturales adhibent, hæc tamen vel nihil profus valent ad effectum intentum, vel insufficientes sunt; & sic necesse est, quædam signa, quæ ad *magiam* superstitionem pertineant, adiungere. quare merito D. August. l. 8. de ciuit. c. 19. dicit: *Omnia miracula magorum, doctrinis sunt & operibus dæmonum.* & Apuleius apud Aug. eodem lib. c. 16. dicit, *ad dæmones pertinere diuinationes augurum, haruspicum, vatum, atque somniorum: ab his quoque esse miracula magorum.* & Lactantius l. 2. diuin. instit. cap. 17. dicit: *Inuenta dæmonum sunt astrologia, haruspicina & auguratio; & ipsa que dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica.* & cap. 14. *Magorum ars omnis & potentia horum ad spirationibus constat.* Idem docet Ioannes Franciscus Picus l. 7. de prænotione rerum cap. 2. Omnes itaque libri, qui *magiam* naturalem tradunt, suspecti habendi sunt, & tamquam periculosi vitandi iuuentuti.

2  
Magiâ  
supersti-  
tiosa.

*Magia* *superstitiosa* est ratio quædam operandi mira per signa ope dæmonum. Sicut enim *magia* naturalis vitur causis naturalibus, ita hæc vitur signis, quæ sunt causæ morales: his enim ex pacto allicitur dæmon vt faciat quod magus petit, & sic ipsa signa facere videntur. vnde D. August. lib. 21. de ciuit. cap. 6. *Allucinantur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creauit; vt nō animalia cibus, sed vt spiritus signis, que cuiusque delectationi congerunt, per varia genera herbarum, lapidum, signorum, animalium, carminum, rituum.*

Est à dæ-  
monibus  
instituta.

Instituta autem sunt hæc signa & tota disciplina primum à dæmonibus, vt ibidē Aug. docet. *Neque enim potuit, inquit, nisi ipsi docentibus disci, quid*

quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuente-  
tur nomine, quo cogatur: vnde *magia* artes, earumque  
artifices exiuerunt. Vbi tamen aduerte, dæmones  
non delectari signis per se spectatis, sed quatenus  
illis honorantur, aut ab eorum instituto pendunt.  
hoc modo intellige Augustinum. Idem luculentè  
docet Euseb. l. 5. de præparatione Euang. cap. 7. ex  
Porphyrio; & Cyprianus oratione de idolorum  
vanitate. Vnde parum refert quis inter homines  
inuentor primus, seu primum instrumentum per  
quod diabolus mundo hanc pestem infudit, exi-  
terit, Greg. Turonensis lib. 1. hist. Francorum c. 6.  
scribit, Cus primogenium Cham diabolo im-  
buente fuisse totius *magicæ* artis inuentorem,  
quem Persæ ad se venientem vocauerunt Zoroas-  
trem; hunc igne cælesti consumptum, ab ipsis pro  
Deo habitum. D. Clemens lib. 4. recognitionum,  
putat etiam ante diluuium viguisse, & post dilu-  
uium à Chamo traditam filio Mizraim, à quo  
Ægyptij, Babylonij, & Persæ genus ducunt; qui  
his artibus maximè dediti fuerunt. Hunc appella-  
tum Zoroastrem communior opinio est, quam  
refert D. August. l. 21. de ciuit. c. 14. Zoroastrem  
inuentorem *magiæ* fuisse Regem Bactrianorum,  
vixisse temporibus Nini Regis Assyriorum, à quo  
& bello superatum; hunc solum in lucem editum  
mox risisse.

Hæc *magia* duplex est, vel potius duplicem finem  
habet: vel enim refertur ad ostentationem, 3  
aliudve commodum suum vel alienum; & sic vocatur  
nomine cōmuni *magia*: vel refertur ad aliquam  
noxam inferendam alteri, & propriè dicitur  
*maleficium* aut *veneficium*, qualis est, quæ vulgo  
dicitur *sortiaria*. Græci hanc vocant *φασμασία*,  
id est, *venenariam*; illam *δυσπλεια*, quasi dicas *diuinam*  
*operationem*, & *νεγρυσία*, id est, *operationem*  
*portentorum* & rerum mirabilium. De *magia* &  
aliis superstitionibus scripserunt eruditè nostri,  
Bened. Pererius, & Mart. Delrio; ille breuiter, hic  
copiosissimè. Nobis satis est fundamenta aperire,  
& selectiora dumtaxat persequi; qui plura volet,  
ab illis petat, licet.

## DVBITATIO II.

Quæ sint magia fundamenta.

**D**Iabolus, vt non statim appareret ipsum esse  
operum *magicorum* auctorem; & vt facilius  
hominibus curiosis hanc artem commenda-  
ret, excogitauit quædam principia & fundamen-  
ta, quibus positis, hæc ars videretur licita, & in  
naturalium rerum concursu, cōoperatione, sym-  
pathia & antipathia fundata.

Primum est, Mundum & singulas mundi partes esse animatas anima intelligente; quæ & 1. Funda-  
mentum  
magorum.  
ipsis vitam tribuat, & vim intelligendi & sentiendi habeat. Secundum, Nomina deorum & dearum, vt 2. Funda-  
mentum.  
Iouis, Iunonis, non esse nomina malorum dæmonum, sed animarum istarum naturalium. quatenus

nus enim quæque animarum istarum habet vim intelligendi, eatenus vocari nomine masculino: quatenus autem animarum corpus, feminino. Itaque Plutonium & Proserpinam nihil esse aliud quam animam terræ, quatenus duplicem illam vim habet: Neptunum & Thetidem, animam aquæ: Iouem fulminatorem & Iunonem, animam aëris: Phænetam & Auroram, animam ignis: nouem Musas & nouem Bacchos, esse animas nouem cælorum; animas septem planetarum significari nomine Saturni, Iouis, Martis, Solis, &c. quibus etiam alia nomina & epitheta tribuunt. vocant enim Saturnum patrem deorum, dominum temporis, dominum altum, magnum, sapientem, arcanae contemplationis auctorem, absconditorem, custodem & ostentorem, auctorem vitæ & mortis. Lunam vocant Dianam, Lucinam, Proserpinam, Hecatem, reginam cæli, summam numinum, reginam manium, elementorum omnium dominam, reatricem mundi, calcantem tartarum, &c. similia plurima epitheta diuinitati propria ceteris tribuunt.

Hæc duo fundamenta excogitata sunt, vt quando magi expressè inuocant dæmones, non videantur ipsos inuocare, sed animas stellarum, vel elementorum, quas dicunt esse bonas virtutes, à Deo in ministerium & vtilitatem hominis, qui illis vti nouerit, per mundum distributas.

Sed hæc omnino vana sunt; Primum, Absurdum enim est dicere, terram, aquam, aërem, ignem, esse animata anima rationali & sentiente. si enim habent animam sentientem, etiam debent habere vegetantem, quæ sentienti subleuit, & sanguinem spiritumque; illius functionibus suppeditat. debent etiam habere organa suis figuris & temperamentis distincta. non enim potest esse sensus sine organo conuenienti, vt Aristoteles lib. 2. de anima probat, & omnia sentientia nobis nota declarant. Item si illa anima intelligit, bruta, plantæ, saxa & metalla non solum sentient, sed etiam intelligent: erunt prædita sapientia, scientia, arte, prudentia: tenebunt logicam, physicam, metaphysicam, mathematicam, theologicam, & similia, quæ nullus sanæ mentis dixerit. Rursus, partes elementorum dum separantur à toto, vel retinent animam, & sic erunt innumerabiles animæ in singulis elementis, vel amittunt eam, & rursus vnitæ toti recipiunt, & sic morientur assidue, & resurgent. Denique illæ animæ cum sint intelligentes, erunt liberi arbitrij; ergo iustæ vel iniustæ, beatæ vel miseræ, in via vel in termino; quorum nihil probabiliter dici potest.

Secundum, Absurdum etiam est, cælum & stellas animatas ponere: est enim contra communiorem sententiam SS. Patrum & Theologorum, & numeratur à D. Hieronymo epistola ad Pâmachium & Avitum, inter errores Origenis. Nicephorus etiam lib. 17. hist. c. 28. inter anathematizatos, quos Synodus 5. Constant. contorsit in Origenem, ponit etiam hunc: *Si quis dicit, cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cælum sunt, animatas quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit.* Eadem sententia erroris damnata est à Facultate Parisiensi, tamquam occasionem idololatriæ præbens. Vnde Conradus Wimpina lib. de superstitione cap. 7. & 8. docet, diabolus philosophis inseruisse opinionem de anima mundi, vt cultum diuinum tribuerent creaturæ & partibus mundi. Hinc ferè omnes Platonici vel magi fuere, vel

magia fauere; ad eò vt etiam Marsilius Ficinus ab hac peste non fuerit omnino immunis, vt patet ex lib. 3. de vita cælitus comparanda.

Præter rationes prædictas, quibus illud refutari potest, hæc vna sufficiat, quòd sacra Scriptura & Religio Christiana nullas agnoscat creaturas rationales præter homines & Angelos. Si aliæ essent, non deberent ignorari, cum ad eandem societatem pertineant.

Nec obstant quædam locutiones Scripturæ, vt Adratiadocet Damascenus lib. 2. de fide orthodox. cap. 6. *in fine, sic scribens: Nullus etiam cælum aut luminaria arbutretur animata; inanima enim sunt & insensibilia. quare si Scriptura dicit: Latentur cæli & exultet terra; Angelos, qui sunt in cælo, & homines, qui in terra, ad latitudinem vocat. Non est etiam Scriptura pro soporata vti, & de rebus inanibus tamquam animatis differere; vt, Mare vidit & fugit, &c.*

Similiter non obstat quòd quidam Patres cælo animam & spiritum tribuere videantur; quia intelligunt animam assistentem, non informantem, quæ nihil est aliud, quam intelligentia motrix cæli, vt Peripatetici loquuntur. Vide D. Thomam 1. p. q. 70. ar. 3. & comment. nostrorum Conimbr. in lib. 2. de cælo cap. 1. q. 2.

His adde, Etiam si essent tales animæ, parum tamen iuuare posse magicas operationes; tum quia alligatæ essent suis corporibus, nec rebus humanis possent interesse; tum quia non possent iuuare nisi per virtutes astrorum, nimirum per lumen & influentias, (si tamen præter lumen & calorem sunt influentia) quæ minimè ad effectus magicos sufficiunt. Præterea vel illæ animæ essent bonæ vel malæ: si bonæ, non vellent iuuare ad opera vana & noxia, qualia ferè sunt magorum: si malæ, quid opus est ad illas confugere, cum dæmones ad iuuandum in huiusmodi sint paratissimi?

Ex his patet, nominibus illis non animas inuocari, quæ nullæ sunt, sed dæmones, qui se fingunt esse animas stellarum & elementorum, vt sub his nominibus ipsi colantur.

Tertium fundamentum est, Præter Angelos bonos & dæmones malos, esse multa genera dæmonum bonorum, quorum alij sint cælestes, & præsentis stellis, & animabus illarum: alij elementares; ex quibus alij sint ignei, alij aërei, alij aquatici, alij terreni. Ita tradit Agrippa lib. 3. cap. 16. Eadem est sententia Platoniorum.

Sed est contra Scripturas, & Ecclesiæ doctrinam, quæ nullos dæmones nisi malos agnoscat, vide D. August. lib. 8. de ciuit. cap. 13. & 14. & sanè si boni sunt, quomodo iuuant ad opera vana & curiosa, ad ostentationem, ad maleficia? quomodo homines decipiunt, & in varias fraudes impellunt? si boni, cur magia sub pœna mortis in veteri Testamento prohibita? cur damnata ab Ecclesia? cur olim proscripita à Repub. Romana? statim enim Euangelio illucescente Resp. Romana, et si peristeret in infidelitate & cultu idolorum, tamen magiam cœpit cognoscere esse perniciosam, & malorum spirituum auxilio subnixam; vt ex gestis Martyrum constat, & L. 2. C. de maleficis & mathematicis.

Quartum fundamentum est, Animam humanam, quando in magnum desiderium exardescit, habere sufficientem potestatem ad imprimendam verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus vim quamdam, quæ naturaliter efficax sit, & energiam

5  
Refutatur  
primum  
fundamen-  
tum.  
Elementa  
non esse  
animata.

6  
Stellas non  
esse anima-  
tas.

9  
Fundamentum.

10  
Fundamentum.

giam habeat ad effectum desideratum; modò illa proportionem quamdam ad hunc effectum habeant, quæ in eo significando sita sit. v.g. si alicui velis inferre noxam aliquam, adhibenda sunt verba, vel alia signa, quæ noxam illam aliquo modo designent: si concitare ad amorem, debent ea adhiberi, quæ amorem significant, depictis duobus sese mutuo complectentibus, vel alia ratione: si ad odium, duobus inter se pugnantibus.

5. Funda-  
mentum.

Quintum est. Imagines & characteres siderum, & signorum cælestium sub congrua sibi constellatione fabricatos, concipere vim siderum, ad occultos & mirabiles effectus, ad quos ipsa sidera valent. Hæc duo fundamenta excogitata sunt ad persuadendum, omnes incantationes, adiurationes, characteres, & sigilla, quæ ab ipsis adhibentur, naturaliter operari per vim ipsi à sideribus vel ab ipsa anima impressam, atque adeo omnem operationem magorum per signa, esse naturalem.

11  
Refutat-  
tur hæc  
duo fun-  
dam.

Sed hæc omnino vana esse, nec vlla probabili ratione niti, constat ex Philosophiæ principiis. Primò, Quia anima imaginando vel desiderando non potest res externas alterare, aut illis aliquam qualitatem imprimere: nam actiones illæ sunt immanentes, quæ nullum effectum in rem separatam producant. possunt quidem concitari spiritus & humores; sed hæc ipsi substantiæ animæ sunt præsentissima, & naturalem ad illam subiectionem habent. Quòd autem magi dicunt, esse similem subiectionem & obedientiam rerum externarum ad animam, quando vehementi desiderio fertur, est contra rationem, & omnem experientiam, & contra illud Domini, Matth. 6. *Non potest ad staturam suam adicere cubitum unum.* & Matth. 5. *Non potes unum capillum album facere aut nigrum.* si non possumus rem tam coniunctam mutare, quomodo rebus externis vires effectrices imprimere?

Secundò, Verba non sunt capacia talis virtutis; nam in substantia nihil sunt aliud quàm voces & soni meri; quibus nihil magis euanidum, aut ineptum stellarum virtutibus, aut aliis qualitatibus excipiendis. Vnde sicut vox non potest esse proprie alba aut nigra, (alio enim sensu Græci *phallos nevlio*, & Latini claram vocem dicunt) lucida aut tenebrosa, calida aut frigida; ita nec accipere vires à stellis vel anima impressas, quibus corpora immutet. sed nec significatio quidquam ad hoc iuvare potest: quia nihil in ipsis vocibus ponit, cum solum sit denominatio extrinseca ab institutione hominis, quæ præterit. Vnde ridiculum est in vocibus requirere significationem effectus, ut possint virtutem physicam ad effectum illum producendum recipere.

Idem dicendum de aliorum signorum significatione. cum enim hæc nihil sit aliud quàm extrinseca quædam rationis ordinatio vel relatio circa vocem facta, non potest villo modo esse dispositio ad aliquam qualitatem realem suscipiendam; nec iuvare quidquam ad physicam actionem, sed solum ad moralem, quæ fit alluciendo naturam intelligentem ad aliquid ex pacto efficiendum. Itaque pertinent omnia illa signa & significationes ad pacta quædam cum spiritibus malignis, ut sæpè ostendit D. August. l. 2. de doct. Christ. c. 21. & sequent.

Tertiò, Etsi anima aliquid imprimeret illis signis; id tamen statim evanesceret, nec posset hære

re & diu operari: at signa magica diutissimè vim habent. Denique non possent operari in res valde distitas; quod tamen signa magica præstant.

Vanissimum etiam est quod de imaginibus & characteribus astronomicis docet: ut cum dicunt, imaginem leonis insculptam auto, sole existente in prima facie leonis, (id est, in aliquo ex decem primis gradibus illius signi) & manè exoriente, concipere vim contra phantasmata melancholica, hydropem, pestem & febres. Eamdem, si fiat sole in corde leonis existente, & medium cæli obtinente, accipere vim contra calculum & nephriticos dolores, & alia huius generis innumera, quibus eorum libri sunt pleni.

Hæc vana esse, Probatur Primò, Quia ipsa astra tales vires non habent, vel si habent, non constat quanam ex omnibus illa sint: hoc enim nulla experientia deprehendi potest. Secundò, Etiam si constaret quanam astra hanc vim habeant, tamen ea ab hominibus secerni, colligi, & veluti seorsim conuolari non potest: nam omnia agunt in omnem partem, & effectus inter se miscentur; vnde nullius astri mera & sincera virtus colligi potest. Tertio, Si quam vim habent, eam potius imprimunt herbis, lapillis, & metallis, in quæ lōgo temporum tractu assidue agunt; quàm rebus arte factis, quæ ad breue tempus illis obiciuntur. Item si quid istis imprimerent, id statim evanesceret, nec posset ad vsum adhiberi. Quarto, Figura arte impressa non est idonea dispositio ad qualitatem, aut virtutem physicam excipiendam: videmus enim ignem, solè, & alia quæ agere in aurum, vitrum, & similia subiecta, qualiscumque demum figura in illis descripta sit. vnde sæpè Aristoteles docet, res mathematicas abstrahere à materia sensibili. Itaque superstitiosum est insculpere formam leonis, scorpionis, aut alterius animalis, ut possit excipere vim illius astri, quod tali nomine ab hominibus vocatur. Quintò, In cælo non sunt tales figure, quales ponunt mathematici, sed illæ conficte sunt ex aliqua confusa & rudi similitudine dispositionis astrorum cum tali figura, ut omnia astra 48. figuris seu asterismis possint comprehendi & exprimi. Itaque non magis est ibi imago leonis quàm vulpis, virginis quàm asini, arietis quàm lupi, scorpionis quàm catuli, & ita de ceteris. potuissent enim hæc aliis rebus assimilari, si mathematicis placuisset. Simili modo ponunt 36. facies in Zodiaco, quas mirificè describunt, & miram vim habere asserunt. Ex quibus perspicuum est, ad excipiendam virtutem leonis cælestis, non magis valere imaginem leonis terreni, quàm bouis vel hominis: idemq; dicendum in ceteris: ut mirum sit, Caictanum q. 69. a. 2. potuisse in mentem inducere, huiusmodi imagines aliquod valere. refutat eandem D. Aug. l. 10. de ciuit. c. 11. & D. Thomas q. 69. ar. 2. & lib. 3. contra gentes c. 105.

Adde, his imaginibus interdum adiungi alios characteres; interdum etiam illis adhiberi iussus ex thure, galbano, storace, aloë, & similibus, ut vim habeant; quod est mera idololatria.

Ex his patet, effectus & operationes magorum non posse per hæc fundamenta reduci ad causas naturales. quare cum alia non habeant, superest eas referendas ad malorum demonum opem, cum quibus plerique eorum etiam expressa pacta contrahunt.

## DVBITATIO III.

Quomodo cognosci poterit an aliqua operatio ad magiam pertineat, & quibus indicij spiritus redeuntes discerni.

13 Tribus modis id cognoscitur.

1. Ex conditione causae.

Respondetur, Id tribus modis cognosci posse. Primò, Ex conditione causarum, quae adhibentur. Secundò, Ex conditione operationis. Tertio, Ex conditione effectus.

Quod ad primum attinet, Ipsa conditio & qualitas causae indicat magiam; Primò, Si expressè inuocetur diabolus. Secundò, Si preces adhibeantur, quibus falsa permixta sunt; vt Christum habuisse febres, & spasimum. Tertio, Si verba exotica. Quarto, Si characteres, imagines, sigilla. Quintò, Si ligaturae, si specula, vnctiones, & similia, praeter Ecclesiae morem: cum enim effectus ad quem diriguntur, non possit expectari ex virtute talium causarum, vt quae nullam in se habeant: nec etiam à Deo, cum nec ab ipso, nec ab Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, sint instituta, imò ab ipsa Ecclesia reprobenur; sequitur eum expectari à malignis spiritibus, qui huiusmodi rebus tanquam signis alliciuntur ad praestandum id ad quod ipsi ea instituerunt. itaque omnia ista sunt magica illecebra, & tacita daemonum inuocationes. Nec obstat quòd interdum nihil nisi verba sacra, aut versiculus aliquis sacrae Scripturae adhibeatur; quia talis versiculus non dirigitur ad Deum, nec eo sensu profertur, quo sacer est; sed animo profano, vt aliquis effectus vanus, vel alius, ad quem ex Deo vel Ecclesiae institutione non valet, proueniat. Sic illo versiculo, *consummationem est*, quidam vtuntur ad luxationes equorum curandas: & illo, *In camo & freno*, &c. ad lapiendos canes. Itaque implicite dirigitur ad daemone, qui etiam in rebus sacris sua signa instituit, vt & homines facilius decipiat, & Deo maiorem contumeliam faciat.

Demon aliquando in rebus sacris sua signa constituit.

14 2. Ex conditione operationis.

Secundò, Ex conditione operationis, vt cum repente curatur equus vel homo, absque diuino miraculo; cum breuissimo tempore multa millia reuoluantur; cum operatio ad rem valde distantem se extendit; vt si hic pungatur imago cerea Petri, & ille alibi doloribus conficiatur.

3. Ex conditione effectus.

Tertio, Ex conditione effectus, si hic industriam humanam superet: sunt autem huiusmodi complura, quae à magis operà daemonum, vel reipsa vel in speciem fiunt, possuntque reduci ad tria genera. Vel enim fiunt circa elementa; vel circa alia corpora, praesertim hominum aut animalium; vel circa animas & spiritus. quaecumque autem exhibent reipsa, possunt etiam exhiberi in speciem per praestigium.

Circa elementa quid possint.

Circa elementa excitare possunt tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos, ipsae laedere & euertere arbores, segetes, animalia, aedificia, & similia; vt experientia quotidiana docet, & ex lib. Iob c. 1. euidenter colligitur. non enim difficile est illis spiritibus nubes alijs in regionibus collectas, & ventos alibi spirantes, huc vel illuc, quò Deus permiserit, impellere, ibique sistere, stipare, collidere. Simili modo possunt facere inundationes, terrae motus, ruinas aedium, repentina incendia, & similia, si Deus id illis permittat. possunt

excantare segetes, seu transferre ex agro in agrum; quod olim videtur fuisse adeò frequens, vt legibus duodecim tabularum apud Romanos vindicari debuerit. possunt transferre arbores & pomeria integra: idque vel singulis transplantatis, vel superficie terrae ad certam altitudinem simul abrepta & translata. Vnde Plinius l. 17. cap. 25. dicit, *Suo tempore Vecty Marcelli olinetum vniuersum viam publicam transgressum, & arua inde e contrario in locum oliueti profecta*. Neque hoc mirum videri debet; possunt enim plurimi simul ad huiusmodi opus concurrere.

Circa corpora hominum & animalium: Primò, Possunt ea celerrimè transferre de loco ad locum; sunt enim & ipsi celerrimi & potentissimi, quibus nulla potestas super terram comparari valeat; Iob. 11.

Hic tamen Notandum est, non deesse qui negant sagas reipsa transferri à daemone, & eas, quae se putant transferri ad conuentus, dicunt decipi hanc enim translationem, & cetera quae in conuentibus sagarum fieri videntur, vt conuiuia, tripudia, adorationes daemonis, nefarios concubitus, & similia, non fieri reipsa exterius, sed solum in imaginatione: sopiti enim ipsas, & daemone hanc omnia facultati phantastica ita representare, ac si reipsa fierent, ita vt illa muliercula sibi persuadeant se hanc omnia reipsa egisse: quod confirmant exemplis quarundam, quas constat sopitas fuisse, quae tamen postea excitatae narrabant se mira fecisse & vidisse.

Sed haec sententia falsa est, & Reipub. pernicio. Falsa. Primò, Quia repugnat innumeris experientijs, & exemplis eorum, quos translatos fuisse reipsa deprehensum est; de quo vide Alphonsum Castro l. 1. de iusta haereticorum punit. cap. 16. & Malleum maleficarum Iacobi Sprengeri, & nostrum Delrio l. 2. disquisit. magic. q. 16. Secundò, Repugnat innumeris reorum & non reorum confessionibus, non tantum muliercularum, sed etiam virorum prudentum omnis ordinis & conditionis. Tertio, Repugnat etiam rationi. cur enim diabolus id non possit, cuius tanta potentia vt non sit ei par in terra? aut cur Deus id non permittat, cum magi & sagae in id consentiant, & diabolum ad hoc aduocent; & ipse Dominus se permiserit à diabolo ex deserto deferri in pinnaculum templi, & inde in montem excelsum, vt ex cap. 4. Matth. colligitur, & Patres passim docent?

Est Reipub. pernicio. Primò, Quia patrocina- tur crimini grauissimo & nocentissimo Reipub. & Ecclesiae; & impedit illius dignam castigationem. Iudices enim, quibus haec opinio est perniciosa, vel non puniunt sagas, vel non nisi leniter, concessa vita hinc fit vt innumeri eo inficiantur, & diabolus tuto grassetur. Secundò, Condemnat omnia panè tribunalia orbis Christiani, tam Ecclesiastica quam saecularia, non solum imperitiae & imprudentiae, quòd non possint distinguere inter ea quae fiunt reipsa, & quae sola imaginatione; sed etiam iniustitiae & crudelitatis, quòd tam saeva morte afficiant homines ob maleficia, quae ipsi reuera non fecerunt, sed solum somniarunt & illusionem diabolica sibi visi sunt fecisse. Itaque haec opinio nullo modo est toleranda.

Nec obstant exempla quarundam, quae adhibita vnctione consopitae fuerunt, & mira se interrim egisse putarunt: quia hoc interdum diabolus

facit vt idem putetur semper fieri, & ita persuadeat Iudicibus totam hanc rem esse imaginatio- nis, & nemini exterius nocere.

16 Dices, Si interdum deluduntur, ergo non poterunt tutò puniri; quia fortè sunt innocentes. vnde enim constare potest hanc non deludi?

Respondeo negando consequentiam: Primò, Quia rarum est vt ita deludantur. itaque præsumi debent non delusæ, nisi probetur contrarium: sicut in aliis criminibus, qui fatetur, non præsumitur delusus, si est sanæ mentis. & si alij de ipso testantur, non potest præsumi diabolus loco illius fuisse suppositum; sed hoc clarè tunc probandum; alioquin secundum leges iudicandum.

Secundò, Plerique optimè norunt distinguere vtrum sola imaginatione, an re ipsa quid actum sit: cur ergo illis fides non adhibeatur? Tertio, Ex indiciis & variis circumstantiis à prudente & perito Iudice facilè deprehendi poterit quomodo res gesta sit. Sæpè enim apparet aliquis effectus exterior; sæpè accedunt aliorum testimonia; sæpè ipsæ personæ sunt boni & integri sensus, & fatentur rem exterius gestam, explicant causam, & modum, & locum, & tempus, & personas coram quibus, &c. Quarto, Quia etiam illæ, quæ in somno delusæ, puniri possunt; tum propter expressum pactum cum dæmone & apostasiam ordinariè coniunctam; tum propter desiderium & conatum faciendi ea, quæ consopitæ videntur facere, & approbationem postquam ad se redierint: idè enim se inungunt, & signa magica ponunt, vt illa fiant re ipsa; & postea cum putant facta, approbant & gaudent, & proponunt rursus facere, quæ se iam fecisse putant: inter quæ sunt idololatria, commercium cum dæmone, renuntiatio Christianismi, studium aliis in corpore vel substantia nocendi, & similia. vide plura de his apud Delrium lib. 5. sect. 16.

17 Similiter non obstat cap. 12. Episcopi. 26. q. 5. vbi significatur, sagas non re ipsa trāsferri, aut alia similia perpeti; sed solum imaginatione: quia non agitur illo cap. contra sagas aut maleficas, quales nostræ sunt; (vt docet Alphonfus Castro dicto lib. 1. c. 16.) sed contra alias quasdam mulierculas, quæ deceptæ à diabolo variis illusionibus, credebant se nocturnis horis cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia in tempesta noctis silentio pertransire, eiusq; iussionibus velut domina obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari; vt dicto c. Episcopi, habetur. Si enim erant fortiaræ & maleficæ, cur tam immane flagitium in illis non reprehenditur? cur sola praua credulitas damnatur? Deinde etiam si concederemus fuisse fortiaras, nihil referret; quia non damnatur in illis quòd crederent ea, quæ nostræ de se referunt; nimirum se à diabolo in specie hirci ad conuentum sagarum transferri; ibidem conuiuia & tripudia cum ipso & veneficis agitari, diabolus adorari, nefarios cum ipso concubitus misceri, &c. sed quòd crederent longè alia, nimirum, hæc & similia esse vera, Dianam & Herodiadem esse deas; illis honorem & obsequium esse exhibendum; posse ab his naturas rerum mutari & transformari; esse veras bestias ab ipsis conditas, quarum ope per aërem vestarentur. nihil horum credunt nostræ sagæ; sciunt enim esse diabolus, qui quæ habent

negotium. Denique si hic Canon aliquid contra nostram sententiam faceret, sequeretur eum fidem perdere, & esse infidelem, qui crederet sagas per diabolus specie hirci transferri; quod omnino absurdum est.

Secundò, Possunt etiam corpora hominum & animalium transformare; non quidem intrinsecè figuram mutando, sed extrinsecè ex vaporibus aliam circumponendo. Sic aliqui operà dæmonis conuertuntur in speciem lupi, & dicuntur *λύκοειδῶν*, quasi dicas lupi homines: accommodant enim se ad speciem bestię quantum possunt, manibus & pedibus incedendo: & diabolus adiicit reliqua, circumposita alia figura, ita vt speciem lupi exactè referant. deinde ingreditur, mutat phantasiam, & animum ferinum inducit; quod ei perfacile est, commotis humoribus & venenatis succis adhibitis: denique agilitate lupina corpus regit. hinc fit vt tales inuadant, lacerent & deuorent homines, vt veri lupi solent. Potest etiam veram bestiam, homine repente sublato, substituere; ita vt ipse homo oculorum iudicio videatur in lupum conuersus: quomodo D. Augustinus lib. 18. de ciuit. cap. 18. docet, focios Diomedis conuersos fuisse in aues, & Iphigeniam in ceruam. Simili modo credibile est, virgas magorum fuisse conuersas in serpentes: non enim diabolus causas naturales virgis applicādo poterat tam breui tempore ex materia tam dissimili veros serpentes efficere. Potest etiam, homine consopito, ipsemet formam bestię assumere, & in ea varia ministeria subire, & interim per alium dæmonem efficere vt ille homo dormiens videatur sibi in bestiam mutatus hæc omnia præstare. Hoc modo D. Augustinus loco citato putat socios Vlyssis mutatos à Circe venefica in porcos: & alios quosdam suo tempore, veneno in caseo accepto à feminis subulariis, conuersos in iumenta, quæ onera gestabant quamdiu illæ volebant, & postea videbantur sibi in formam humanam reuerti. Denique potest hanc mutationè facere nudo præstigio. sicut enim melancholici & phrenetici videntur sibi mira exterius videre, cum totum sit interiùs ex qualitate & commotione humoris; ita etiam operà dæmonis fieri potest vt mira exterius videantur vel audiantur sola humorum agitatione & infectione. hac ratione potest exhiberi palatia, vrbes, exercitus, flumina, incendia, tempestates, fulmina, tonitrua, & similia.

Ex his patet, quatuor modis has transmutationes à magis operà dæmonis fieri posse. non tamen est negandum quin possit dæmon aliquas veras transformationes efficere, applicando actiua passiuis; quales etiam ab hominibus fieri possunt; etsi ipse plura, subtiliora, & expeditius possit. sic potest efficere ranas, mures, muscas, &c. Item quæ ex femine; sed inuisis feminibus in locum naturalem genituræ.

19 Tertio, Possunt inferre morbos occultos, qui nulla arte medica valeant curari. facile enim diabolo est instillare venena ignota, & eaque ita regere vt lentè operentur, vel infringere vim medicamentorum; vel si sinat illa operari, potest renouare quotidie noxam, intercipere vias spirituum & humorum, & aliis mille modis nocere: potest etiam inferre in corpus humanum pilorum villos, clauorum & vitrorum fragmenta, & alia huiusmodi, quæ maleficiis affectu excernunt quamuis

quamuis etiam præfugio facere possit vt hæc videantur è corpore eiici, cum reuera ibi non fuerint.

20 *Curare morbos.* Quartò, Possunt curare morbos omnes, qui naturalibus remediis curari possunt, & omnes qui à dæmonis actuali nocimento pendent. Possunt impedire sanguinis è vulnere effluxum; imò omnes laciones, quæ gladio, igne, aliisque instrumentis irrogari possunt, si Deus permittat. facile enim ipsi est, ictum iuxta corpus hominis excipere, & impetum frangere, & ea quæ vim ignis impediunt assidue interponere; sed Deus rarò hæc permittit.

*Ereruere thesauros.* Quintò, Possunt eruere thesauros occultos, & opes mari abditas; sed Deus rarissimè id permittit; quia esset maxima ad malum illecebra. vnde videmus omnes panè magos & sagas esse pauperes, viles, abiectos.

21 *Reddere insusceptibilem.* Sextò, Possunt etiam aliquo modo se efficere insusceptibiles: idque vel efficiendo vt subito transferantur aliò, altantibus non aduertentibus; quo modò fortè Apolloniùs se insusceptibilem reddidit, quando à Domitiano capiendus erat; de quo Philostratus in vita ipsius: vel aliquod corpus instar veli interponendo, quod simile sit corporibus adiacentibus, v. g. parieti, tapeti, &c. vt ab illis non videatur distinctum: vel alienam figuram interponendo, vt etsi videatur, non agnoscat: vel certè subtrahendo aut impediendo spiritus visorios, qua parte ad illius obiecti visionem debent concurrere.

22 *Immittere demones.* Septimò, Possunt immittere demones in hominem, & facere vt ab iis obsideatur, Deo permittente. huius multa exempla extant in historiis. Possunt etiam eosdem expellere, idque vel ex pacto cum ipsis & volentibus iisdem; (quamuis simulent se cogi ad egrediendum vi incantationis) vel ex pacto cum dæmone potentiore; qui etiam inuitos expellere potest: de quo vide Gregorium lib. 1. dialog. c. 10. hoc tamen numquam facit iste dæmon, nisi vt magis noceat; vt exemplo Gregorius docet.

23 *Circa animam.* Circa animam humanam coniunctam corpori, omnia ea possunt opera dæmonum, quæ ex corporis dispositione & imaginatione pendent; vt inferre amentiam, incitare ad amorem, odium, libidinem erga hunc vel illum, & similia. facile enim est dæmoni efficere vt obiectum aliquod assidue obuerfetur phantasia in modum conuenientis vel disconuenientis, & simul concitentur humores & spiritus consentaneè affectui amoris vel odij, &c. Huc pertinent philtæ, & odiorum maleficia; de quibus vide Gregorium l. 1. dialog. c. 4.

Circa animas separatas nihil possunt magi, quia nec demones ipsi aliquid in has valent; præterquam quòd damnatis possint irrogare supplicia secundum modum & mensuram à diuina iustitia pro meritis cuiusque constituta. Itaque non possunt illas ab inferis excitare, & viuus repræsentare; sicut nec tortor potest reum ducere quòd libuerit. quòd si id non possunt in animas damnatas, quantò minus in sanctas, quæ ipsis, veluti domini & Iudices, sunt admodum formidabiles?

24 *An Samuel excitatus fuerit.* Nec obstat illud 1. Regum 28. vbi cum Saul petisset excitari Samuelem per pythonissam, ipse Samuel apparuit, vt verior sententia tenet, quæ maximè confirmatur Ecclesiastici 46. vbi Samuel

dicitur post mortem prophetaffe, & Regi interitum prædixisse. non enim Samuel vi magica excitus prodiit; sed iussu diuino in pœnam impij Regis; cuius signum est, quòd magicam incantationem præuenit: vnde & turbata fuit pythonissa; & rectus capite sursum elato, è terra emerferit; contra morem vmbrarum magicarum; quæ pedibus sursum versis, & capite deorsum prodire dicuntur. insinuare hoc videtur pythonissa, cum ait: *Deos vidi ascendentes è terra*; id est, virum instar Dei, vel similem Deo. etsi enim Elohim sit numeri pluralis; tamen plerumque apud Hebræos accipitur pro vno; quo modo hic accipi patet ex verbis proximis. *Qualis est forma eius?* itaque non de vmbris, sed de Samuele augusto modo apparente loquitur pythonica. Spectra autem illa, quæ ad inuocationem magorum se exhibent, sunt dæmones, qui se horum vel illorum animas fingunt.

Petes, Quibus indiciis poterunt spirituum apparitiones internosci, vt non decipiamur acceptantes malos pro bonis?

25 *Respondeo,* Indicia mali spiritus sunt ista: Primò, Si ad præsentiam vel vsum rerum sacrarum diffugiat, nimirum signi crucis, aquæ benedictæ, nominis Iesv, B. Virginis, aut alicuius Sancti, sacrarum reliquiarum, sacræ imaginis, agni Dei, cerei benedicti, stolæ sacræ, & similibus, quibus Ecclesia vt consuevit contra diabolicas fraudes, quæque veræ Religionis sunt præsignia & certa signa. Item si hæc improbet aut disfluat. hæc enim indicia sunt manifesta, dæmonem esse.

Secundò, Si falsam vel prauam causam suæ apparitioni prætendat, vt si dicat se redire imperio alicuius magi: aut vt aliqua reuelet, quæ friuola sint, curiosa, vel noxia.

Tertiò, Si aliqua dicat, quæ sunt contra fidem & Ecclesiæ doctrinam; vel tuadeat aliquid, quod sit à moribus Sanctorum alienum. sicut puella, quæ nuper prope Louanium repenti reuixit, & mira per triduum coram omnibus retulit. horum summa erat, se vidisse sanctissimam Trinitatem, & ibi intellexisse, parentibus & fratribus nullam superesse spem salutis, nisi ipsa rediret ad corpus & pro illis martyrium subiret, & illi deinde ex ordine idem martyrium paterentur. Modus martyrij erat iste: Imponendus erat faciei puluillus, deinde validè pedibus erat conculcanda, donec fracto capite vita exprimeretur. persuasit vt sibi id fieret. inde processum ad fratres, quorum primus cœptus calcari, grauiter est læsus; sed interuentu vicinorum res impedita. Exempla vetera extant plurima.

Quartò, Si sua oratione excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minus ordinatum affectum. numquam ad talia alloquium boni spiritus excitabit.

Quintò, Si blandè accedat, sed postea relinquat mœrorem, desolationem, turbationem animi, tenebras: hoc enim signum esse mali spiritus, docuit S. P. N. Ignatius in suis Exercitiis, & D. Macarius hom. 7. sicut enim boni spiritus est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre; ita maligni est relinquere in animo tenebras, mœrorem, perplexitatem, turbationem; nam quicquid sibi consentanea operatur.

Sextò, Si rem non patitur tractari cum Superiore,

riore, vel confessario: boni enim spiritus non querunt tenebras, nec volunt ordinem, quem sancti Patres & sacra Scriptura tradiderunt, perueriti: facile enim ipsis est & Superiores permouere.

Septimum, Si in forma tetra aut abiecta appareat, v. g. *Aethiopsis*, serpentis, bufonis, canis; vel cum fœtore, tumultu, horrore, clade discedat.

Octauo, Si vbi semel præstitum est quod subsidij causâ petiit, rursus quaesitis aliis occasionibus fruolis redeat: animæ enim, vbi satis feceris, vel non redeunt, vel semel tantum redeunt, vt gratias agant. *dæmones* quia paucis congressibus conficere nequeunt quod voluit, varias occasiones querunt vt sapè appareant. vnde hæc crebritas debet esse suspecta. vide *Thyzaum* lib. 1. de apparit. spirit. cap. 16. *Peltanum* de purgat. cap. 5. & *Delrium* lib. 1. q. 26. sect. 3. vide etiam infra dubit. 5. alia quædam huc pertinentia.

## DUBITATIO IV.

## Quale peccatum sit magia.

26  
Per se est  
mori se-  
rum.

**R**espondeo, Ex genere suo esse mortale; quia continet tacitam vel expressam *dæmonis* inuocationem, ac proinde societatem & benevolentiam erga illum. Fieri tamen potest vt aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantia; vt si quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem, cum hæc sapè sit valde occultata. plerumque tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cuius tenetur abstinere donec plenitudo de re cognouerit: quod si non faciat, peccat saltem venialiter. Ratione leuitatis materia præcisè non videtur vquam esse veniale: quia quoddam in re parua vel ludicra *dæmon* inuocetur, per se non minus crimen est, quam si id fieret in magna. similiter tacita vel remota inuocatio, si plena consideratio adfit, est eiusdem rationis ac expressa. sæpè tamen contingit vt quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo; & sic potest esse veniale defectu animaduersionis.

27  
Crimina  
coniuncta.

Notandum est, huic crimini in iis, qui ei sunt addidit, ordinariè alia crimina grauissima esse coniuncta; de quibus à confessariis & ludicibus sunt interrogandi. Primum est, *Hæresis*: multi enim ex his non credunt diabolum subituro pœnas æternas, aut esse damnatum & miserum; & eos, qui ipsi adherent esse damnandos, aut eum nihil posse nisi *Dei* permissu, & similia. Denique pauci ex his sunt firmi in fide; & plerique deprehenduntur vel *hæreci*, vel nullius religionis. Secundum, *Apostasia*; abnegat enim *Christum* & *Christi* fidem, & sapè ipsum *Deum*: renuntiant *Baptismo* & *Confirmationi*, eaque conantur in se quibusdam caerimonis extirpare. Tertium, *Idololatria*; accipiunt enim diabolum loco *Dei*; huic fidem spondent, se totos dedunt & mancipant, sacrificia offerunt, aliosque deserunt honores. Quartum, *Blasphemia in Deum*, in *Christi* humanitatem, in *B. Virginem*, & *S. nctos* omnes. Quintum, *Sacrilegium*; sapè enim in suis incantationibus vituntur rebus sacris, & interdum ipsa sanctissima *Eucharistia*. Sextum, *Luxuria*; vt nefaria cum *dæmone* commixtiones. Septimum, *Damna proximorum*; vt homicidia, præterum infantium, è

quorum corpusculis decoctis conficiunt vngua, pulueres, & alia magica symbola; varij morbi hominibus irrogati, mortes animalium, vastationes fegetum, & similia. Ex quibus patet, magos & sagas dignos esse morte, & omnino è Republica exterminandos ob apostasiam, idololatriam, nefandos concubitus, & familia, etiam si fortè damna non intulerint. vnde etiam *Exodi* 22. præcipitur, *Maleficos non patieris viuere.*

## DUBITATIO V.

## Quæ remedia aduersus maleficia possunt adhiberi.

**R**emedia maleficij esse possunt vel naturalia, vel supernaturalia, vel moralia. *Naturalia* plerumque paruum vim habent; quia diabolus facile omnem illorum actionem eludit, si velit. bonum tamen est illa initio experiri, ex præscripto medicorum adhibendo ea, quæ ipsi ex symptomatibus congrua iudicabunt: vt si indicia sint veneni, si abundet humor melancholicus, vel alius, quo diabolus in hac affectione vt videtur: si alicui parti interperies illata, & similia.

*Supernaturalia*, seu *Ecclesiastica*, sunt optima. hæc decem numerari possunt.

Primum est, *Magna fides* & fiducia in diuina protectione. Colligitur hoc clarè ex *Psalmo* 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur*, & quæ sequuntur; quibus docemur, diabolum nihil posse in eos, qui omnem spem in *Deo* locant. Idem patet multis exemplis. vide *Cassianum* collat. 8. c. 18. & 19. *Paulinum* in vita *D. Ambrosij*, *Gregorium* l. 1. *Dialog.* c. 4.

Secundum est, *Susceptio Baptismi*, si non sit baptizatus. Huius extat memorabile exemplum in historia *Periana* *Petri Chieza* p. 1. c. 18. Ratio est, quia *Baptismo* exuimus veterem hominem, quem diabolus induxit, & induimus *Christum*: efficiuntur eius membra, eius filij, & domestici; transferuntur de potestate tenebrarum in regnum *Filij Dei*, vt *Apostolus* ad *Coloss.* 1. ait.

Tertium, *Confessio peccatorum*. Sæpè enim ob peccata permittitur diabolus potestas in hominè, quibus deletis, illa quoque euanescit; quibus permanentibus, frustra à alia remedia adhibeas, vt docet *Petrus Cluniacensis* l. 1. de miraculis cap. 6. de quo etiam vide lib. 1. vita *S. Bernardi* cap. 8. Itaque qui maleficiis infestantur siue in se, siue in rebus suis, exhortandi ad accuratam peccatorum confessionem & vitæ emendationem.

Quartum, *Sumptio Eucharistia*, vel eius præsentia: nulla enim conuentio lucis ad tenebras, nec *Christi* ad *Belial*. hoc pacto maleficia fuisse curata, refertur in vita *S. Bernardi* lib. 1. cap. 10. & *D. Augustinus* l. 2. de ciuit. c. 8. scribit, domum quamdam ab infestatione *dæmonum* liberatam oblato in ea *Sacrificio*. *Palladius* l. 1. histor. c. 19. refert, *S. Macharium*, cum ei oblata esset femina maleficio affecta, dixisse, *Illud* propterea vim in eam habuisse, quod quinque septimanis à sacra *Eucharistia* abstinisset.

Quintum, *Exorcismi Ecclesie*. hi varij sunt: alij enim instituti sunt ad expellendum *dæmonem* à corporibus hominum, alij ab infestatione adium, alij ad illum compefcendum, ne damna per rempeltates, vel alia ratione inferat. Horum autem maxi-



maximam esse vim, patet tum ex usu quotidiano: tum quia in Ecclesia est ordinatio specialiter instituta à Christo, vel (vt quidam volunt) ab Apostolis ad dæmones pellendos & coercendos, vt patet ex Concil. Carthag. 4. c. 7. & ex Cypriano epistola 2. 55. & 76. & alijs Patribus: tum quia p̄ces illæ & adiurationes fiunt nomine Ecclesiæ Christi sponte. Refert Iosephus l. 8. antiq. cap. 2. Salomonem quoque instituisse coniurationes, quibus dæmones fugentur. non tamen constat quales hæ fuerint, sanctæ an superstitiolæ: quia non extant, nec scitur quando instituerit, in cultu veri Dei, an in idololatria.

32 *Aqua benedicta.* Sextum, *Aqua benedicta.* hæc habet vim ex precibus Ecclesiæ, per quas factum est vt diuina virtus ei assistat, ac quodam modo insideat & cõnexasit ad dæmonis infestationes auerendas. hoc remedio plurimi vsi sunt, vt B. Marcellus Episcopus, apud Theodoretum l. 5. histor. c. 21. S. Macarius, apud Palladium l. 1. c. 19. S. Bernardus l. 2. Vita eius cap. 3. & alij innumeri; estque modo frequentissimum apud Indos.

*Reliquia Sanctorum.* Septimum, *Reliquia Sanctorum.*, & res aliæ ab Ecclesia benedictæ, vt Agnus Dei, cerei sacri, panis & sal benedictum; & limilia. Horum exempla quotidie se offerunt.

33 *Signum Crucis.* Octauum, *Signum Crucis.* huius est vis magna contra omnes diaboli machinationes. Primò, Quia continet tacitam inuocationem sanctissimæ Trinitatis, per meritum passionis Christi, sicut enim voce, sic gestu Deum inuocare & mentem nostram exprimere possumus. Secundò; Quia continet totius doctrinæ Christianæ compendiarium professionem. significatur enim (præsertim adiuncta formula, *In nomine Patris, &c.* quia fieri solet) Primò, In Deo esse vnam essentiam, potentiam, maiestatem; & tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Deinde, Patrem esse principium, Filium procedere à Patre, Spiritum sanctum ab utroque, & hunc esse amorem & vinculum vtriusque. Tertio, Filium à Patre descendisse in vterum Virginis, hominem factum, & nos per mortem suam transfuisse à sinistris ad dexteram, à damnatione ad gloriam. hæc omnia Ecclesia, & fideles eius inuocant hoc signo insinuare & profiteri. Quarto, Quia crux est instrumentum, quo Christus diabolum vicit, & eius potentiam fregit; quod etiam ipsum Christum crucifixum refert & obicit. Vnde crux triplici modo vim habet. Primò, In modum inuocationis. Secundò, Tamquam opus fidei & professio Religionis Christianæ. Tertio, Ratione diuinæ virtutis ex ordinatione diuinæ assistentis: nam etiam in infidelibus vim habet, vt constat de Iuliano apostata ex-historiis Ecclesiasticis. & de quodam Iudæo ex lib. 3. dialog. S. Gregorij cap. 7. His addi potest quartus, scilicet, quatenus diabolo ingerit memoriam probri & ignominie, quam per crucem accepit, & timorem virtutis Christi. Hæc sufficiunt ad hoc signum contra hæreticos defendendum. Simili modo reliquæ caritatis Ecclesiasticæ defendi possunt. nihil enim sunt aliud quàm professiones tacite veritatum fidei, & sacra preces. excitant etiam animum ad maiorem reuerentiam; & recreant suam varietate & pulchritudine. De efficacia crucis aduersus dæmones extat infinita exempla. vide Chryostomum homil. 8. in epist. ad Coloss. Lactant. lib. 4. c. 27. Cyprianum, vel quicumque

est auctor, sermone de passione Domini, Vitam D. Bernardi l. 2. c. 2. & 3. & nostrum Gretzerum, de cruce.

Nonum, *Inuocatio nominis IESV, B. Virginis, Angeli custodis,* & etiam aliorum Sanctorum. exempla plurima extant apud Auctores.

Decimum, *Oratio,* præsertim coniuncta ieiunio. Hæc valent etiam ad pessimum quoddam genus dæmoniorum expellendum, vt patet Matth. 17. Vide Gregorium l. 3. dialog. cap. 33. & Palladium l. 2. hist. c. 28. Qui plura supradictorum exempla desiderat, consulat Delrio lib. 6. c. 2.

*Moralia remedia* voco, quæ pertinent ad pactum cum dæmone dissoluendum, quando ex pacto nocet: quod fit amouendo signa magica, ad quorum præsentiam nocumentum irrogat, de quo dubitatione sequenti.

DUBITATIO VI.

*Vtrum liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa malefica, posita à maleficis, eo sine vt diabolus desinat nocere.*

Hæc quæstio ante complures annos ad me è longinquo missa fuit, multis argumentis pro parte negante (quam viri quidam docti & pii tenere dicebantur) instructa: quam deinde tractavi in materia de matrimonio, cap. de impedimento maleficij. verum quia propria est huius loci, quæ ibi dicta, huc transferenda, bonâ illorum, qui aliter sentiunt, veniã, putavi: solius enim veritatis & proximi iuuandi amore hæc à me tractantur: & eos qui seculis sentiunt non damno, sed pietatis, doctrinæ & dignitatis causa veneror. Fundamentum partis negantis præcipuum est, quod tollere illa signa vt diabolus nocere desinat, videatur quedam implicita illius inuocatio, vel pactiois implende monitio. Sed

Dico Primò, Nullo modo fas esse aliquo maleficio signa magica tollere, quamuis ad id paratum sese maleficus offerret. Est certa, & communis DD. sententia, excepto Angelo v. Superstitio, §. 1. 3. & Petro Aureolo, quem Angelus adducit. hi enim etsi concedant non esse licitum facere incantationes, licitum tamen putant, alterius, qui ad id paratus sit, incantatione & maleficio vt, vt à nobis vel alijs noxam maleficij tollamus. Confirmatur hæc sententia, quia licitum est petere ad vsuram ab vsurario parato dare, & exigere iusiurandum ab eo, qui paratus est per falsos deos iurare: vt supra ostentum. Sed horum sententia refutatur ab omnibus tamquam error. vide Caietanum tomo 2. opusc. 12. Siluest. v. Maleficium quæstione 8. & Castro libro 1. de iusta hereticorum punit. cap. 5. Ratio est, quia illa malefici operatio est intrinsecè mala, cum sit vsus artis magicæ; & tacita vel expressa dæmonis inuocatio ad aliquem effectum obtinendum: ac proinde nullo modo bene fieri potest: ergo nec petere, nec cõsentire potes vt fiat; iuxta illud ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Secus est cum petitur iuramentum ab eo, qui putatur per falsos deos iuraturus, aut mutuum ab eo, qui solet exigere vsuras: nam id, quod

34  
Inuocatio  
nom  
IESV  
Oratio.

35

Signa ma-  
gici non  
posse tolli  
maleficio.  
Angeli &  
Aureoli  
sententia.

quod hic petitur, malum non est, & bene fieri potest, si velit à quo petitur.

36  
Pote  
am  
ueri  
ind  
stria  
nati  
rali.

Dico Secundo, Ius tamen est cuique, tollere & destruere illa signa absque maleficio, ubi inuenta fuerint. Est communis sententia Doctorum, qui hanc doctrinam attingunt. Inter quos Henricus à Gandauo quodl. 5. q. 33. Scotus in 4. dist. 34. ubi dicit, *ridiculum esse querere an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: non enim, inquit, solum licet, sed etiam est meritorium destruere opera diaboli.* Idem docet Gabriel iisdem ferè verbis in 2. d. 8. q. 2. a. 4. dub. 2. Caiet. to. 2. opusc. 12. *Duobus modis, inquit, contingit maleficium a maleficio solui. Primo, Per simplicem dissolutionem seu destructionem malefici prius facti, puta dissolendo ligaturam capillorum, cum annulo ligneo, &c. & hoc absque dubio licitum est, nec est opus malefici ut maleficus est, sed hominis scientis impedimentum boni proximi sui: quia hic nulla euenit demonum inuocatio, sed sola dissolutio signi; quo durante diabolus sternerat, malum alterius continuare. Secundo, Per inuocationem demonum, seu aliud maleficium: & hoc absque dubio peccatum est mortale. hanc ille. Idem docet Silu. v. Maleficium, n. 2. Castro l. i. de iusta hæret. punit. cap. 15. valde fusè. Dominicus Sotus d. 34. q. vni. art. 3. *Potest quisque conuenire maleficium, & rogare, & pecuniâ ab illo extorquere, ut illas ligaturas, quas habet sepultas, aut suspensas, aut alibi asseruatas, inde dimoneat: quia illud maleficium facere virtus est, &c.* Ioseph. Angles in Florib. q. 6. de maleficiis. Nauar. cap. 1. n. 29. Petrus Binsfeldius in tit. de malef. & mathem. q. 5. & alij. Hi omnes docent hanc sententiam ut indubitatam, incredibile autem est omnes decipi, præsertim cum non agatur de positio aliquo dogmate, cuius ratio sola Dei sit voluntas, sed de veritate naturali ad moralem philosophiam, ubi ingenij acumen maximè valet, pertinentem.*

37  
Probatur  
ratione.

Probatur ratione. Primo, Si esset illicitum amouere huiusmodi signa ut diabolus nocumentum designat, id esset quod ille actus amouendi censereur esse tacita quædam demonis inuocatio: sed id verum non est: ergo non est illicitum amouere. Maior est euidens, & conceditur ab Auctoribus diuersæ sententiæ; nulla enim potest alia vel in speciem causa fingi; sepono enim scandalum, quod ubique vitandum est. Minor probatur, quia amotio illa signorum neque ex natura rei est inuocatio demonis, ut per se patet; neque ex intentione amouentis: non enim intendit demonem inuocare, sed inuocationem per magum illo signo factam impedire, & dissoluere. neque ex pacto aliquo antecedente; quia qui amouet signum, non est pactus cum demone ut ad amotionem signi designat nocere. Nec refert, quod fortè magus id pactus sit, quia qui amouet signum, non intendit ex pacto ipsius magi operari, aut demonem inducere ut pactum cum mago initum seruet; sed solum intendit pactum nocendi rescindere; quod licitè & meritorie potest. Confirmatur à simili; si quis eum hoste esset pactus ut dato certo signo (v. g. suspensio funiculo cocineo, sicut fecit Raab, Iosue 2.) accurrat, & inuentia conscendat, vel ignem ubi iniiciat, & ego tale pactum scirem, possem illud signum tollere, nec villo modo centerer consentire pactis; sed potius illa odisse & destruere: ergo similiter, si sciam inter magum & demonem esse pactum ut dato certo signo (v. g. poli-

to capillorum glomo sub limine) noceat, potero illum glomum tollere, ut euerfa pacti conditione, non noceat: neque censebor villo modo in illud pactum consentire: cur enim hic potius quam ibi consentire videar?

Secundo Probatur, Si quis verbis alliceret demonem ut mihi vel alteri noceat, possem omni ope impedire; similiter si per scripturam vel characteres: cur non possum impedire si aliis signis illum accerfar? quid enim interest, verbisne an scriptis, an aliis quibusuis signis demonem allicias ad nocendum? possum igitur illa signa remouere & destruere ut demon designat allici, & consequenter ut desinat nocere.

Tertio, Qui habet pactum cum sicario, ut positò certo signo ad fenestram vel ostium Petri, ipsi vel rebus eius noxam inferat, tenetur signum, quod ad hunc finem ibi posuit, tollere, si aliter nocumentum impedire non potest; similiter & quiuis alius, qui illud nouit: ergo etiam qui tale pactum habet cum diabolo, & quicumque nouit signum pacti, tenetur illud tollere, ut damnum impediatur.

Sed contra obiiciuntur multa argumenta.

Primum: Est certum demoniorum genus, quod non eicitur nisi in oratione & ieiunio, ut Dominus Matth. 17. ait: ergo si hoc genus ingressum esset per maleficium, non liceret eius ingressum procurare per signi ablationem.

Respondeo Primo, Si hoc argumentum aliquid concludit, etiam conuincit non licere exorcismis agere in hoc casu. Secundo, Quomodo potest nobis constare an sit ex illo genere? fortasse enim est ex alio, ac proinde nihil vetat quin possum tentare per signorum amotionem. Tertio, Dominus agit de demonum eiectione, qui hominem possident, quos non legitimus eici per amotionem signorum, sicut neque permittuntur ingredi opera magorum, nisi fortè rarissimè, & interueniente nocumento, quod demon magicis signis illeceus infert.

Secundum argumentum: Hieronymus in Vita S. Hilarionis refert, cum quædam puella per incantationes à demone obseffa adducta esset ad Hilarionem, noluisse virum sanctum, antequam purgaret virginem vel adolescentem, signa iubere perquiri; ne aut solitis incantationibus recessisse demon videretur, aut ipse sermone eius accommodasse fidem: ergo perquirere & tollere signa ut nocumentum cesset, ad incantationem pertinet.

Respondeo Primo, Hieronymum non dicere, ne solitis incantationibus recederet, sed recessisse videretur, scilicet, vulgo spectanti, cui merito id visum fuisset, si vir tantus ad hoc auxilium confugisset, maximè cum demon hoc consilium suggestisset, indicato signorum loco, & dixisset se illis ligatum teneri, neque posse egredi illis non sublati.

Secundo, Hieron. disiunctiuè dicit, *ne aut solitis incantationibus recessisse videretur, aut ipse sermone demonis accommodasse fidem:* verebatur enim Hilarion, ne si signa quaeri iussisset, alterum horum sequeretur. Adde, prorsus indignum fuisse tanto viro, signa illa iubere inquiri, quasi absque illis non posset expellere, qui excellenti miraculorum dono præditus erat.

Tertium argumentum: Qui signum tollit ut cesset noxa, miscet se pacto, quod malefico cum demone magico,

39  
Non miscet  
se pacto  
mone magico.

mone intercessit, quod est huiusmodi, vt signo posito dæmon nocere incipiat, ablato desinat.

Respondeo Primò, Plerumque solum est vnum pactum, scilicet vt posito tali signo noceat. quando enim diabolus aliquo signo debet allici vt faciat aliquid extraordinarium, non est opus nouo pacto vt desinat facere, sed satis est vt desinat allici; quod fit sublato signo. hinc enim sequitur vt desinat operari, eò quod vis prioris pacti, ex quo ad operandum est inductus, sit elisa. Secundò, Et si forte tale pactum esset inter magum & dæmonem, is tamen qui signum tollit, id ignorat, & potest existimare tale pactum non esse, sicq; signum illud tanquam dæmonis illecebram submouere. Tertiò, Quamuis sciret esse tale pactum, non tamen idcirco se huic misceret, aut ei vilo modo consentiret: quia amotione signi non intendit dæmonem inducere ad pactum seruandũ, neque vitur amotione ligaturæ veluti signo alterius pacti; sed solum intendit destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur: hæc enim multum distinguuntur: aliud enim est amouere signum ea mète vt moneas dæmonem vt seruet pactum, & ex fide data desinat nocere; aliud amouere vt destruas dæmonis quasi realem inuocationem, & pactum cum mago initum, vt per se patet. quando enim aliquod signum ex natura sua non est ordinatum ad aliquid significandum, facillè per intentionem aliò referri potest; vt patet in adoratione Naaman Syri, 4. Regum 5. qui adorante Rege in templo Remmon, simul hæc tebat genua ante idolum, vt Regi sibi innitenti se appareret. quæ actio etsi videbatur esse idololatria, tamen reuera non erat; quia non intentione adorandi idoli, sed sustentandi domini fiebat. Multò apertius id cernitur in proposito: cum enim amotio signorum, facta eo fine vt cesset dæmonis noxa, non sit inuocatio dæmonis ex natura rei, sed potius euersio prioris pacti; neque etiam ex intentione amouentis, vt quæ illi profusa sit contraria, nullo modo censeri potest illicita.

40 Quartum argumentum: Qui signum tollit spe nocuenti cessaturi, hunc effectum non expectat à causa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei: ergo expectat à diabolo: ac proinde est opus superstitiosum; nam perinde est ac si diabolo dicat, Pactus es amoto signo te cessaturum; ecce amoueo signum, præta quod promisisti.

*Effectus priuatiuus potest à dæmone expectari.*

Respondeo, Effectus qui hic expectatur, non est aliqua actio positiua dæmonis, sed cessatio seu priuatio actionis, quem effectum licet à dæmone expectare: multa enim quotidie facimus vt diabolus aliquid non faciat, vel cesset facere, non solum coactus diuina potestate, sed etiam quasi offensus & abhorrens; vt dum gestamus agnos Dei, & reliquias, dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domos & templa: cur non etiam possimus destruere signa magica, vt desinat nocere, tanquam non amplius ad nocendum allectus? Itaque non quouis modo illicitum est expectare effectum priuatiuum à dæmone, sed expectare illum ex fide data & accepta, seu ex vi alicuius pacti cum dæmone initii, quod hic non fit: non enim expectatur ex vi pacti, sed ex euersione pacti seu inuocationis: est enim effectus priuatiuus, qui sufficienter ex hoc sequitur, quod non amplius per signum prouocetur, seu quod prius pactum destruat.

Vnde qui sic expectat cessationem à diabolo, non perinde facit ac si dicat, Præta quod promisisti: sed potius perinde facit ac si dicat, Pactum tuum cum mago rescindo, signa tua quæ instituiti ad nocendum, destruo; non est ergo quod noceas amplius.

41 Quintum argumentum: Diabolus numquam cessat sponte à nocumento corporali, nisi vt grauius noceat in anima: be neficia enim illius nocentiora sunt omnibus vulneribus, vt testatur D. Leo Serm. 19. de passione: ergo per cessationem nocuenti, quæ fit amoto signo, grauius damnum infert vel amouenti, vel maleficiato, vel vtrique.

Respondeo negando consequentiam; Et si enim diabolus id forte intendat, præfertim cum in nostra sit potestate per Dei gratiam ne in animo noceat. Neque verum est, expectari cessationem tanquam beneficium eius; nisi quis dicat, eum, qui amouet signum proditionis vrbis, expectare cessationem proditionis tanquam beneficium proditorum.

42 Sextum argumentum: Diabolus non est alligatus signis; potest enim nocere sine signis, & delinere nocere etiam positis signis, & non desinere sublatis signis: ergo frustra tolluntur signa, nisi intercedat pactum, vt illis sublatis desinat nocere.

*An possit nocere sine signis.*

Resp. Primò, negando consequentiam: Tolluntur enim signa vt euertatur pactum magicum & tacita dæmonis inuocatio, vt dictum est. Quod autem diabolus possit continuare vel non continuare nocumentum, parum refert, modò constet, semper vel ferè semper desinere nocumentum sublato signo.

Secundò, Sæpè diabolus non potest nocere corporaliter, nisi humana malitia ei cooperetur: ita enim ligata est eius potestas, vt nihil ferè solus possit in hominis corpus vel bona externa, vt patet ex Historia Iob, nisi Deo id ei specialiter permitte: quia tanta est eius malitia, vt nihil prætermitteret mali, quod posset inferre; humana tamen potestas non sic ligata est (quia homo homini resistere potest) quæ dum dæmoni cooperatur, plura ei Deus permittit, quam soli. Vnde Franciscus Victoria Relect. de arte mag. sub finem, *Mirum*, inquit, est & mysterium, quod cum dæmones per se nocere non permittantur, tamen non adeo impediuntur nocere per homines, vt magos, lamias, & alias maleficas: quod etiam ceteri Doctores tradunt. Quare falsum est, dæmonem ordinatiè posse nocere sine signis magicis, sicut potest cum illis; vel posse continuare noxam sublatis signis, sicut potest positis signis. Hinc fit vt non frustra tollantur; nam illi fortasse permissum non est sublato signo nocere. Neque hinc sequitur, Deum habere aliquod pactum cum dæmone: sicut si Rex non impediat hostem in iis quæ facit cooperantibus subditis; non inde sequitur, Regem habere pactum cum suo hoste.

43 Septimum argumentum: Si licet signa malefica amouere, vel ad eam rem malefici opem implorare: ergo qui maleficium patitur, tenetur id procurare, si aliud remedium non occurrat.

*An teneat procurare amotionem.*

Respondeo, Possè contingere vt teneat signum amouere, si sciam, & commodè possim: maximè autem ad id tenetur maleficus qui posuit: nec video quomodo de hoc dubitari possit, neque refert quod

quòd DD. hoc expresse non doceant; satis est id ex eorum doctrina sequi. sicut enim maleficus, qui diabolum inuocat verbis vel scriptis vt noceat cuiuspiam, tenetur cessare ab ista inuocatione, non solum quia supersticiosa, sed etiam quia noxia; ita quoque tenetur signa posita, quibus allicitur ad nocendum, tollere, si aliter nocumentum impediri nequit. Et confirmatur, quia sicut is qui posuit puluerem tormentarium certo loco, vbi damnum illaturus est, tenetur illum tollere, si aliter damnum nequit auertere: ita qui signum posuit, ex quo nocumentum sequitur, illud amouere debet. quid enim refert quòd puluis vi naturali sit nociturus, seu vi morali, seu vi pacti; quando æquè certò & efficaciter nocumentum sequitur? Sanè perinde se habet illud signum, ac si vis diabolica illi esset alligata. vnde tamquam res nocentissima est tollendum.

44  
Abradere  
pilos male-  
ficarum.

Octauum argumentum: Si licet signa amouere, ergo rectè faciunt qui maleficis ad quæstiones vocatis abradunt omnes pilos corporis, ne quo maleficij signo corpori adhaerescere, reddantur insensibiles, & ita non possint cogi ad confessionem: atqui hoc est supersticiosum. Confirmatur ex Victoria relectione de magia, nu. 16. vbi dicit: *Si ad expulsionem demonum radunt pilos aut capillos aut aliquid huiusmodi, est magia manifesta.*

Respondeo, Si id faciant ne sub capillis aliquod tale signum occultatum lateat, non sunt damnandi superstitionis. Vide Damhouderium. An satis decorè faciant, non disputo.

Quod Franciscus Victoria ait, ad propositum non facit: loquitur enim de expulsionem demonum è corporibus hominum, per gratiam gratis datam, qualem habent viri sancti, ad quam expulsionem nihil facit rasura pilorum. non enim pili sunt signum maleficum, ibi positum à mago; ac proinde non sunt amouendè vt pactum aliquod magicum cesset.

Argumentum nonum. 3. quæstione 1. cap. 4. Si per sortiaros, Hincmarus Rhemensis enumerat remedia contra maleficium concubitus coniugalis, nec meminit huius remedij, nec alij Patres meminerunt.

Respon. Primò, Non est necesse huius remedij mentionem facere, quia vulgò satis notum semper fuit, nec decuit eos nisi remedia Ecclesiastica & diuina proponere. Secundò, Si illicitum putabant hoc remedium, non solum debebant eius nullam facere mentionem, sed etiam expresse prohibere, cum scirent esse vulgare; quod nobis argumento est, eos non improbasse. Adde, eos loqui in casibus, in quibus humana auxilia non superant: plerumque enim ignorantur signa & eorum loca, nisi à magis indicentur. Vnde nisi remedia Ecclesiastica & diuina profint, censent impedimentum maleficij esse perpetuum, iubentque eos separari: quod tamen non facerent, si signa malefica cognita essent, & illis sublatis maleficiu possent solui. Communis enim Doctorum sententia est, impedimentum non censeri perpetuum, quando ope humana sine nouo maleficio tolli potest.

45 Dico Secundò, Non solum fas est tollere signa magica, sed etiam, per se loquendo, ponere alia, quibus positus expirat vel destruitur pactu prius, & diabolus desinit nocere; vel certè priora signa vim suam amittunt. Colligitur ex iisdem DD. & Probatur Primò, Quia licitum est aliquid facere,

quo posito finitur prauum pactum, & diabolus desinit nocere: hoc enim non est signum pacti noui, sed euersio vel impedimentum antiqui. Nec refert vtrum hoc proueniat ex eo quòd diabolus tali signo offendatur, an quòd ipsemet statuerit vt tali re interueniente pactum non constet, si non fiat modo deprecatorio, aut affectu aliquo benevolentia. Exempla sint: Si venefica te tangat, inficeris; si tamen illam mox repercutias, impeditur noxa: vel quia diabolus statuit tunc non nocere; vel quia signum veneficæ non est tale quale ipse requirit. Item cum à saga quis est infectus, dicitur cessare nocumentum, vel reddi inefficax, si infectus det illi panem & salem, vel ab illa panem accipiat; fortasse propter Eucharistia mysterium. Nec refert quòd diabolus ipse fortè hoc statuerit; quia solum statuit his positis non nocere, & vt pactum præcedens expirat: atqui licitum est aliquid facere quod per se indifferens est, vt diaboli pactum expirat, & nocumentum cesset: hoc enim non est signum amicitia; quia etiam erga inimicum potest quis talibus signis vt absque vlla specie benevolentia.

Dices, Hic expectatur effectus à dæmone.

Resp. Non expectatur vllus effectus positivus, sed solum cessatio à malo, qualis effectus expectari potest, modò non ex amicitia. Secundò, Licetum est tollere signa vt desinat pactum & nocumentum: ergo licitum est apponere alia signa ad eundem finem. Tertiò, Licetum est petere verbo à diabolo vt desinat nocere, modò id non petatur deprecando, aut ex amicitia aliqua, sed indignando: ergo idem licitum est petere signo. Secus est si petas vt aliquid agat; hoc enim est benevolentia. Quarto, Si diabolus haberet tale pactum cum mago, vt posito tali signo noceat donec ponatur signum aliud contrarium, & non esset aliud remedium ad desinendum nocumentum, posset magus illud alterum signum adhibere: sicut enim posset diabolo dicere, Cessa; ita potest idipsum signo aliquo exprimere.

Hæc tamen omnia intelligenda sunt de pura cessatione; non autem de aliqua actione positiva, aut fauore eliciendo à diabolo. vnde si putaretur nocumentum per actionem positivam eiusdem vel alterius dæmonis desinendum, non liceret: similiter si res sit dubia, non enim licitum est vti remedio supersticioso, aut de quo dubium est an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis; nisi fortè id fiat cum expressa voluntatis contraria protestatione. Pari modo fas non est à mago petere vt maleficium dissoluatur, si dubitas an absque nouo maleficio id possit: quia id de quo dubium est an sine peccato fieri possit, sicut absolute non est faciendum, ita nec absolute ab alio petendum vt faciat. secus quando constat sine peccato fieri posse: & causa iusta petendi subest, vt supra c. 42. dub. 10. dictum est. Nec refert etiam si putem iniquo modo id facturum: id enim eius malitia imputandum, non mea petitioni, cum petam id quod licito modo facere potest; sicut cum exigo iuramentum ab eo, quem per falsos deos vel pseudo-prophetam Mahumetum iuraturum scio, non mihi imputatur illud sacrilegium; vt loco citato ostensum. Hinc patet, non peccasse militem, qui equum suum misit curandum ad hippiatrum, à quo naturaliter curari poterat; quamuis multum formi-

46  
Si iniquo  
modo fa-  
ciatur sit.

formidaret id eum superstitiosè præstiturum, & fecit. Si tamen miles præfens fuisset, & vidisset illum signa superstitiosa parantem adhibere, non potuisset permittere: quia permittere vt circa te, vel rem tuam, te præfente, magica medicatio fiat, est in illam consentire; quia sine tuo consensu ne-

mo tibi vel rebus tuis in tuo conspectu medicina applicare potest: imò est moraliter illis vri, & applicare. Medicus enim se habet instar instrumenti respectu eius qui eum adhibet, qui per illum curare dicitur. Vnde propriè dicimus nos vri opera Medicorum.

CAPVT XLV.

De Irreligiositate.

Habet 5. Dubitationes.

EXPOSITIS vitiis religioni oppositis per excessum; proximum est vt dicamus de iis, quæ eidem opponuntur per defectum, quæ nomine Irreligiositatis comprehenduntur, & à D. Thoma quatuor numerantur; vt dictum est c. 43. in principio: *Tentatio Dei, Sacrilegium, Periurium, Simonia*. His adde *Blasphemiam & Infidelitatem*, id est, voti violationem. Etsi enim *blasphemia* à D. Thoma 2. 2. quæst. 13. statuatur vitium confessioni fidei oppositum, tamen etiam opponitur religioni per defectum cultus, vel potius contemptum: sicut conuiuium & contumelia in hominem opponitur obseruantia. Vnde propriè ad irreligiositatem pertinet. similiter *infidelitas*, quatenus hoc nomine significatur voti violatio. Alia enim deformitas est in eo quòd fides Deo data violetur, & promissum non præstetur; alia in rei sacræ Deoque consecrate indigna contrectatione. Vnde videtur species à sacrilegio distincta, quamuis sacrilegium quoddam interdum sit coniunctum, vt infra numero 11. dicitur. De *Periurio, Infidelitate, & Simonia* supra satis dictum est. Itaque superest *Tentatio, Sacrilegium & Blasphemia*; de quibus hoc capite nobis est tractandum.

DUBITATIO I.

Quid sit tentatio Dei, & quale peccatum.

Diuus Thomas quæst. 97.

**T**ENTATIO generatim est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, vt sciatur qualis sit potentia, scientia, bonitate, voluntate, &c. vt cum quis examinatur in aliqua scientia, vel cum fit alicui contumelia, vt videatur quid facturus sit. neque tantum dicitur quis tentare dum id facit vt ipse sciat, sed etiam quando aliorum causâ: quo modo Deus dicitur tentasse Abraham, Iob, Tobiam, & alios sanctos, vt mundo illorum virtutem manifestam faceret, & in exemplum proponeret. Aliquando tentare idem est quod ad malum incitare: inde enim capitur experimentum virtutis vel vitiositatis hominis: quomodo diabolus & concupiscentia dicitur hominem tentare, & Deus dicitur *intimator malorum, & incipias & reuocet, & neminem tentare*, Iacobi 1. In proposito, *Tentatio Dei* est quando quis absque iusta causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum diuinæ potentia, sapientia, iustitia, misericordia, voluntatis, aut alterius attributi. Colligitur ex D. Thoma art. 1. & sequenti.

Dico, *absque iusta causa*, quia si iustam causam habeat, non erit tentatio, vt si fiat ex diuino instinctu, vel habeat quis donum miraculorum, aut fanitatum; vel si honor Dei & Religionis defensio postulet opus ad quod tale experimentum sit necessarium. Voco autem *experimentum* diuinæ potentia, &c. omne extraordinarium opus vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem præstitum, quo eius potentia, sapientia, iustitia quasi experiendo cognoscitur. Debet autem hoc à Deo peti vel expectari: alioquin non dicitur fieri ad capiendum experimentum. vnde non erit tentatio Dei, vt si quis se coniciat in ignem, vt se interficiat, non expectans vt à Deo conferretur illud. Hic enim non committit hoc peccatum, sed solum sui homicidium. Consistit itaque huius vitij deformitas in illa irreuerentia, quæ Deo fit, cum absque iusta causa opus aliquod vel auxilium extraordinarium ab eo petitur vel expectatur. Vult enim Deus ordinem naturalem seruari, & causas naturales iam institutas adhiberi, quantum fieri potest, neque absque necessitate statuit hunc ordinem prætermittere, nisi cum ipsi ob causas occultas aliter visum fuerit. Itaque cum nulla est necessitas, & nullum nobis suppetit indicium istius voluntatis, irreuerenter agimus, extraordinariam opem ab eo petendo, vel expectando. Nimia est illa familiaritas, & veluti cum socio, non considerans illius maiestatem & nostram indignitatem, neque sese intra suum modum continens, & veluti dedignans modis ordinariis vri. Sicut enim reuerentia Dei in eo sita est, quòd considerata illius maiestate, & nostra vilitate, non audemus nos liberè & soluto curis animo rebus diuinisingere, diuina scrutari, cum Deo agere, ab eo quiclibet petere; sed semper metuemus & circumspicimus, ne liberius, solutiùs, audaciùs quàm conueniat nostræ humilitati & illius celsitudini, cum eo agamus: ita irreuerentia nascitur ex defectu illius considerationis, & consistit in quadam audacia & libertate tractandi diuina, vel agendi cum Deo, & quiclibet ab eo petendi, nulla habita ratione illius maiestatis, & propriæ vilitatis. Vnde patet, hoc vitium esse contra reuerentiam diuinam, quatenus illi reuerentiæ aduersatur petitio auxilij extraordinarij absque necessitate.

Mallia huius vitij in quo sita.

Reuerentia Dei.

Potest autem hæc tentatio fieri dupliciter, Primò expresse, quando directa intentione talis experimenti capiendi aliquid agitur; vt si petas miraculum, vt tu vel alius sciat Dei in aliquo negotio voluntatem; si falsas in pureum, vt experiaris an Deus te sinet lædi, quomodo fecit quidam Monachus apud Cassianum Collat. 2. Abbatibus Moyses c. 5. Si petas miraculum, vt scias vtrum Deus possit face-

Fit dupliciter: expresse, implicite.